

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in several columns and includes some red initials and underlines.]*

Communicata  
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß  
1831 oho

45  
CARMEN GRATVLATORIVM

AD VIROS PIETA-  
TE, VIRTUTE ET ERVDITIO-

ne præstantes, summaq; in Philosophia &  
arte Medica, dignitate, VIII.

Id; Iulij ornandos:

M. BALDAZAREM SVMMER TORGENSEM,  
M. PHILIPPVM BVCHAMER HALLENSEM,  
ET MICAELEM LINGELIVM VIENNENSEM.

A

MICAELE SAXONE.

ITEM ECLOGÆ TRES IN HO-  
NOREM EORVNDEN D. SCRIPTÆ

A

IOHANNES RVCARDO:  
TORGENSIBVS.

VVITEBERGÆ

---

ANNO 1563.

AD VIREM CRISTIANITATIS

AD VIROS PIETAS

INSTITUTUM EST

in Philosophia

et Medicina

Ab Anno

MDCCCLXXXVIII

in Universitate

Wittenburgensi

MICHAEL SAXONIA

IN HONORE

CHRISTIANI

JOHANNIS

WITTENBURG

WITTENBURG

ANNO 1555



AD CLARISSIMOS  
VIROS, QUIBUS SUMMVS,  
VT DOCTORES MEDICI  
nae appellentur, honorum titulus  
decernitur.

MICHAEL SAXO.

**A**onas in montes quem ducit sacra sororum  
Turba, inter claros excellit & eminent altè  
Illustresq; viros, ceu stellas Hesperus inter.  
Sed nec pigra sequi languentis tempora vitae,  
Nec flauos liquido crines perfundere nardo,  
Tale parant homini decus, ornamentaq; tanta.  
Si nescis facilis duro fortuna labori  
Aspirat, caeptumq; iuuat, cum strenuus vrges.  
Egregias vario virtus generosa labore  
Assequitur laudes, quas non incendia flammæ,  
Non mors saeva potest, non longa abolere vetustas.  
Magnanimus sic Alcides, sic inclytus Hector,  
Sic Ithacusq; ducesq; alij clarissima mundi  
Lumina, qui terra atq; mari tot casibus acti,  
Hauserunt magnos inuictò corde labores,  
Vt celebris possent adipisci nomina fama.  
Ergo inter claros magnum & memorabile nomen  
Egregiosq; viros quisquis desiderat, antè

A 3

Perfe.

Perferat Herculeos, quos dicit fama, labores:  
Aut multo colat ingenuas sudore per artes  
Pectus, mortalis quarum vita exigit usum.

At labor horribilis res, atq; simillima monstro,  
Quod stygijs tenebris latet, & crudelia Ditis  
Personat, horrendum, latratu regna trifauci.  
Hic cui ne segni trepidet formidine pectus,  
Nec glomerare manum, contra aut obtendere cesset:  
Sed coram aggressus, primus strepitumq; minasq;  
Subjiciat pedibus frangatq; horrentia monstri  
Arma, iuvante Deo, quamvis sit scævius Orco.  
Nobile sic lætus portabit ab hoste trophæum,  
Ambiet auratis atq; illum gloria pennis,  
Gloria perpetuum non interitura per ævum.

Non aliter pietate viri & præstantibus ausis  
Insignes, Nymphæ Lybetrides impare ternos  
Quos numero, fausto voluerunt sydere iunctos,  
Per varios vitæ casus, per mille labores  
Tendere conati, sedes ubi cura quietas  
Acciperet, longæ deponens tædia vitæ.  
Nec labor incæptis vnq; desistere victos,  
Quamvis Sardois videatur amarior herbis,  
Impulit, aut tentare fugam: sed fortius ausi,  
Ausu terrificum contra contendere monstrem,  
Hoc donec victo metam tetigere petitam.

Et iã finis adest: cum forti mente molestos  
SV Mmerum tandem iuvat exhaustisse labores.

Huic

Huic primum Aonides monstrarunt sidera cœli,  
Arcturum, pluuiasq; Hyadas, geminosq; Triones,  
Defectus Solis varios, Lunæq; labores,  
Atq; hominum casus ex his aperire futuros:  
Nec non quid tantum properent se tingere soles  
Hiberni pelago, vel quæ mora noctibus obstet.  
Vnde rubescentes fatali crine Cometae,  
Vnde ruant venti, trepidæq; per intima terræ  
Viscera quid tantos valeat mouisse tumultus:  
Vnde tonent nubes, qua fulgura luce coruscent,  
Ac tandem ærius quo lumine floreat arcus.  
Ergo has dum potuit naturæ accedere partes,  
Iam præclare tuo Peucere pependit ab ore,  
Omne, Machaonij quod cœlauere recessus,  
Naturæ indagans opus, assidua arte, latentis:  
Et sibi doctrinæ magnos congeffit aceruos.  
Sicut apis quæ Vere nouo per frondea rura  
Suaves ore legit, prope Mellæ flumina, flores  
In cellas, stipatq; thymo redolentia mella,  
Aut formica velut congestum farris aceruum  
Cum populat, venturæ hyemis memor atq; senectæ,  
Conuectat prædas angusto calle per herbas.

Nec primùm egregia præstantes arte Magistros  
Cum titulo æquaret, fuit hoc contentus honore;  
Verùm rimatus doctorum scripta virorum,  
Nocturna versata manu, versata diurna,  
Non prius absistit, quàm doctæ ingentia frontis

A 3      Præmia

Præmia victor ouans tandem de monte reportet  
Aonio: Iam miscetur Doctoribus inde  
Illorumq; gerit, titulo decoratus, honores.

Alter ab hoc sequitur BVCHAMER in ordine,  
Ingenium medica cultum, satis eminent, arte. (cuius

Hic genitore satus, quo vix solertior alter  
Artis Apollineæ cultor fuit: ergo medendo  
Sæpe Alberte tuos, gelidis vbi cornua Mogus  
Miscet aquis Rheni, potuit sanare dolores.

At postq; diræ, superis concessit ab oris,  
Invidia mortis, germanus deinde Philippus  
Non minus arte valens medica, successit in aulam,  
Pellere lethiferos promptus de corpore morbos.

Horum nunc etiam seruat vestigia natus,  
Et pulchram sequitur virtutem passibus æquis.  
Scilicet ingenij repetentem splendida patris  
Factaq; virtutesq; sui vis excitat, acres  
Assiduè versans stimulos sub pectore laudis.  
Nec dum etiam ingressus primæ lanuginis annos,  
Sicelidum cum mox casto percussus amore  
Addit se comitem turbae, & subiungit alumnum.  
Pierioq; ferax cum munere pectus haberet,  
Protinus eximij titulum, nomenq; Magistri  
Accepit: Nec deinde suo cessare labore,  
Aut ornamento hoc voluit contentus abire:  
Non requieuit enim, donec iam, sorte ministra,  
Egregium laudis decus & spolia ampla referret.

Iamq;



Iamq̄ Machaonia non infelicitè arte  
Tertia portat eum subeuntem ciuibus ætas,  
Numinis auspicio cùm non sine laude secutus  
Æquiparat chari magnos genitoris honores.

Vltimus es numero LINGELI haud vltimus  
Sed veluti studijs æquas & laude priores, (arte,  
Sic nihil à socio locus hic tibi demit honore.

Milichio dederat sua munera lætus Apollo,  
Scire potestates herbarum, vsumq̄ medendi,  
Ille accepta tibi medicis dare pocula succis,  
Atq̄ omnem quæ tunc studijs obducta vacanti  
Mortales sensus hebetabat, & humida circum  
Sic caligabat, potuit dispellere nubem.  
Nec te paupertas ad doctas impulit artes,  
Vltro Pieridum coluisti sacra, colentem  
Iam rursus decorant, & præmia digna rependunt.  
Fecit idem tibi luce magis dilectus, in oris  
Italiae, frater, sinuosa volumina Legum  
Versans assiduè digitis, & mente volutans,  
Donec præclarum Doctoris nomen adeptus,  
Cæsaris Austriaci sublimem accitus in aulam est.

At tu dum dulces germani cernere vultus  
Ardes, & viuas audire & reddere voces,  
Excultas Latij lustrasti sedulus vrbes:  
Teq̄ virum doctis aduertere vocibus aureis,  
Sæpius & longos discendo condere soles,  
Quà redolens sacros primæuæ gentis honores,

Pera

Perluit antiquas Tyberis decora alta ruinas,  
Naiades æquorea, & faciles meminere Napeæ:  
Cùm viuebatis fraterno, mutua, more,  
Gaudia carpentes alternis vocibus ambo.  
Ecce autem lætis nunq̃ non inuida rebus,  
Vnanimem rapuit fati inclementia fratrem.  
Heu nihil inuito fas quenq̃ fidere letho.  
Ille tui cultor nemoris, tuus ardor Apollo,  
Concidit extinctus crudeli funere mortis,  
Quem varias propter virtutes lumine cassum,  
Cæsaris imperium Romani sæpe requirit.

Frigida mors anima fratris seduxerat artus,  
Leucoream repetis, veteri perculsus amore,  
Vrbem LINGELI, & notas grauis arte reuisis  
Sedes: per multos, vbi te iam splendida virtus  
Iactatum casus, sublimi extollit honore.

Vos ergo Aonidum & sacri decora inclyta Phææ  
Omnes florentes ætatibus, artibus omnes (bi,  
Et virtute pares, & Apollinis arte parati,  
Accipite hoc tandem, vobis per mille labores  
Quæsitum decus, & vestris extendite factis.  
Per varios casus, per tot discrimina rerum  
Euasisse iuuat, metamq̃ tenere petitam.  
Ceū pressa in tuto residet cùm littore nauis,  
Puppibus & læti magno telluris amore  
Egressi nautæ optata potiuntur arena,  
Exhaustos dulci repetunt sermone labores.

Quod

Quod superest, pietate viri & virtute uigentes  
Egregia, precor hos vobis fortunet honores  
Omnipotens Pater, ætherea qui regnat ab arce.  
Vos verò, quæ iam vestro, pro tempore trado  
Carmina candori, quo docta insignia vultu  
Aufertis, faciles admittite. sic sua quemq̃  
Excipiat leto redeuntem patria plausu.

IOHANNIS RVCARDI ECLOGÆ  
TRES.

IN HONOREM M. BALDAZARIS  
SUMMERI TORGENSIS:

ALBIS.

**I** Am procul æthereos Aurora remouerat ignes,  
Aureaq̃ Eoo cæli patefecerat ortu  
Atria, cum primo pater Albis fonte relicto,  
Mysniacas Nymphas & amœna vireta reuisens,  
Lætificos imo sensit sub pectore motus:  
Aurifer vndenis collectus fontibus Albis.  
Nec mora, vicinæ residens in gramine ripæ,  
Quæ veterum sedes Heroum, atq̃ inclyta tecta  
Ostendit rigida surgens Argelia rupe,

B

Talia

Talia sublimes lætus cantavit ad auras

Æternum Cœli decus, ô Sol maxime, lucem  
Qui vehis, & certo moderaris tempora motu,  
Sis felix, facilisq; diem iam volue serenam:  
Blandius ipse iubas Aethon, crinesq; repexus,  
Naribus emittat roseum flagrantibus ignem.  
Dum magnum vestris iterum pastoribus, albis  
Saxonie in ripis, Nymphæ, decus, Argeline,  
Additur, eximioq; novus stat alumnus honore.

Ipse quidem celeri, delapsus flumine, cursu,  
Phæbe tuo visam veteres in monte ruinas,  
Atq; habitata novem delubra sororibus olim,  
Cum (quod fama refert) Parnassidos Hippocrenes,  
Barbarie obstructæ, cessarunt currere Lymphæ.  
Nec me tantus amor visendi Nerea magnum  
Abducat, licet æquoreæ mihi maxima Nymphæ  
Naiadesq; omnes certatim munera mittant,  
Quo minus aspiciam clarum huius lucis honorem  
Prælatasq; faces, ornataq; tempora lauro.

Tu modo tergemini ductor sanctissime cœtus,  
Huc etiam Aonio venias à fonte, relictas  
Nunc iterum sedes, destructaq; templa reuisens.  
Pauca tibi: tu desuetas & voce chelyq;  
Pieria ludens, mulcebis suaviter undas,  
Ut medio sistant stupefactæ flumine cursus.  
Gaudebunt sylvæ, volucresq; per aëra magnum  
Latitiæ nova signa dabunt, cantusq; ciebunt.

Ipse

Ipse ego, quas potero, depresso murmure, voces  
Ad numeros recinam, cytharamq; imitabor eburnã.

Interea placida per florida rura Camœnae,  
Narcissci flores, & purpureos Amaranthos,  
Et iunctas Thymbris Nardi redolentis aristas,  
In docti medici viridantia tempora passim  
Colligite, & calathos operosæ onerate tumentes.

At, quod idẽ cognomẽ habet, cuiserta parantur,  
Huc quoq; adesse velis calidissima solibus Æstas,  
Ut monstres ripæ quot habent in margine flores.

Ite bonæ Charites, Musis comitantibus ite,  
Ac passim æstatis pulchros decerpite flores.

Hic genus omne viret Violarũ, hinc Spartica Myr-  
Chrysantusq;, & sanguineo Rosa tincta colore, (tus,  
Liliaq; rorisq; haud auia cura marini:

Hic Hederæ virides, hinc nobile gramen Acanthi  
Hic quoscunq; iuvat sertis intexite flores.

Sed tu flammigeri præses pulcherrima cœli,  
Fulgida, disparibus, Minoidis astra puellæ,  
Vranie, vicibus gemmosis insere sertis,  
Gemmosis sertis, tali nam munere dignus,  
Qui tua perpetuò veneratus numina, noctes  
Atq; dies sudans, coluit, quiq; æthera celsa  
Per varios vitæ casus, per mille labores,  
Ingenio petijt, vulgi vaga gaudia spernens.

Vos Fauni testes, & capripedes Satyrisci,  
Ipse illum quoties, tacito labentia cœlo,

Dū volucrum genus omne filet, genus omne ferarū,  
Ac tristes relinquunt mortalia pectora curæ,  
Spectarim media luſtrantem sidera nocte,  
Arcturum, pluuiasq; Hyadas, geminosq; Triones,  
Ac rutilo cinctum gladio latus Oriona,  
Et mœſtam Andromadam, & fulgentem Caſſiopeiã,  
Tollentemq; altè caesa enſem Gorgone Perſea.  
Vnde adeò casus potis eſt aperire futuros,  
Fortunasq; virūm, penitusq; recondita fata.  
Vnde tuos Sol defectus, tua Cynthia damna  
Cernit, & horribiles Diuūm denunciât iras.  
Hoc Faunos tantum tenuit, Satyrosq; bicornes.  
At ſuper hoc faciles magis obſtupère Napeæ,  
Quòd, dum cœruleo notat aurea ſydera cœlo,  
Nil minus interea ſyluas, & teſqua pererrans  
Inuia, & innumeris fragrantia floribus arua,  
Vſus ad medicos facientes colligat herbas.  
Sæpe illum, magno iuuenes poſt terga ſequentes  
Agmine, floriferos vidi deducere in hortos:  
Ceū cū prima noui ducunt examina reges  
Vere ſuo, ſequiturq; fauis emiſſa iuuentus.  
Ille ſedens patulæ demiſſus in arboris vmbra,  
Clamat, Iò iuuenes quos vultis quærite flores,  
Tempus adeſt, vobis, mihi nota, hîc nomina dicam,  
Et magnas paruo monſtrabo in germine vires.  
Omnis ſe latos diffundunt turba per hortos,  
Effoſſisq; trahunt teneras radicibus herbas:

Atq;

Atq̄ aliquis rediens fert læta Sysimbria secum,  
Et virides Menthas, & Eringion vtile nuptis:  
Teucrion hinc alius, suauemq̄ Chamæcyparissum,  
Nec non Asphodelon, floremq̄ virentis Anethi:  
Inde alius pariter Pyrethrū, & Polygoneta iuncta,  
Flauaq̄ Narcissum mentitum lilia, portat.  
Ipse facultates varias, & nomina cuiq̄  
Imponens, medica doctus docet arte Magister.

Iamq̄ vbi Leucoream celeberrima fama p̄ urbē,  
Quanta sit ingenij vis, quanta sit artis & vsus  
Copia, quæ doctæ tandem solertia mentis,  
Clarorum delata virūm peruenit ad aures,  
Illi continuo merita vltro præmia laudis  
Decernunt, socioq̄ ornant sacra tempora lauro.

Fortunate nimis, patriæ tu splendida lætus  
Nunc ad tecta nouo venies cumulatus honore,  
Agnoscesq̄ tuam latè increbrescere famam  
Per nemora & syluas, perq̄ altas æquoris vndas.

Sed iam læta dies Eoo surgit ab ortu,  
Quid cesso? tantos abeo visurus honores.  
Sic fatus, vitreas iterum se condit in vndas,  
Leucoreasq̄ ruens subito decurrit ad oras.

B 3

In ho.



IN HONOREM M. PHILIPPI  
BUCHAMERI HALLENSIS:

SALA.

**F**ortè sub antiquæ Sala lubricus Ilicis Umbra,  
Quà populosa iacet fumantibus Hala salinis,  
Carbaseæ glauco velatus tegmine pallæ,  
Urnâq; sceptrumq; gerens dare iura parabat  
Fontibus, ac tenui labentibus agmine riuus,  
Illius ut, leuibus cœli per inania pennis  
Fama volans, gratis impleuit vocibus aures:  
Non procul esse diem, quo formosissima terræ  
Saxonica Hala virum, succis poclisq; ferendis,  
Acciperet doctum, populi applaudente corona.

Quæ super attonitus postq; pater auribus hausit,  
Ocyus ex Nymphis formosam Callianassam,  
Cymothoenq; vocat, Crocolenq; Rhaniq; Theanq;  
Ornatamq; comas Amaranthi floribus Æglen,  
Omnes pingere acu, telasq; intexere doctas.  
Quæis tum præcipiens his vocibus ora resoluit.

Nunc manibus Nymphæ vestris, nunc arte ma-  
Est opus: ergò nouis celeres incumbite telis, (gistra  
Munus & egregium redeunti texite alumno,  
Ac longam primis seriem deducite ab annis:  
Et quibus auspicijs mortales venit in auras,

Et



Et quibus Aonias ducibus primum bibit undas.  
Hinc patrem, & æquales adiungite fratris honores,  
Vtq; legant medicis præstantes vsibus herbas,  
Qua vitreis Rheni Mogus sese inserit undis:  
Vtq; ambos opere in medio mors inuida terris  
Subducat, iaculisq; petens detrudat ad umbras.

Laeta sed illius post flos iuuenilis inumbret  
Ora, & ridenti malas lanugine cingat,  
Cum primum docti gaudebit honore Magistri,  
Tinctaq; purpureis maculis teget infula frontem.

Nec satis est, sylvas illi, ac nemora adite densa,  
Pieriosq; choros, ducentemq; agmina Phæbum,  
Quò medijs mixtum possit se agnoscere diuis.

Ipsæ Machaonias sacri dux agminis artes  
Edoceat Phæbus, naturam, ipsasq; recludens  
Herbarum occultas vires, penitusq; latentes:  
Apprensūq; manu deducat in Aonas hortos,  
Mille ubi sint species herbarum, ubi nomina mille  
Arboreis passim folijs expressa legantur.

Tum verò longo celebrem ordine pingite pompā.  
Bis deni varias, ornati vestibus aureis  
Prætendant faculas pueri, quos ordine primo  
Bis terni iuuenes, portantes dona sequantur,  
Dona, libros auro pulchros, Ostroq; superbo,  
Et manicas, Tyrio queis infula murice tincta,  
Annulus ac digitis decus adiungatur eburnis.

Indè graui passu clarorum turba virorum

Ince

Incedant, summiq; petant delubra Tonantis.  
Postremò sacros, quos nostis, pingite ritus,  
Atq; operi lætæ sic tandem imponite finem.

Hæc ubi dicta dedit, cœtu tum rite soluto  
Conticuit, rapidis caput occuluitq; sub undis.  
Ast illæ, vt iussæ fuerant mandata facesunt,  
Ac subitò tenues percurrunt pectine telas,  
Inuigilantq; operi intentæ, peraguntq; laborem.  
Iamq; ubi vir patriam clarus properabit ad urbem,  
Perficietur opus, magnum & memorabile donum.

IN HONOREM MICHAELIS LIN-  
GELII VIENNENSIS.

DANUBIVS.

A Vstriacis nuper turritæ ad celsa Viennæ  
Mœnia, Danubij iussu genitoris, in aruis,  
Conuenère simul fluuialia numina, vasto  
Quæ pater ipse suo accipiens latissimus alueo,  
Vbera terrarum cursu per pinguia labens  
Voluit, & innumeris secum in mare flexibus infert,  
Vt lætis quandò recrearent corpora mensis,  
Ac varios grato casus sermone leuarent.

Iamq;

Iamq̄, ferè medium, rapido Sol feruidus æstu,  
Currebat cœli spatium, cùm lætus ab alta  
Sede pater socios muscosi ad limina tecti  
Conuocat, ac sceptrum quatiens graue murmurat ore.  
Nec mora Vindelica primum piscosus ab vrbe,  
Humida cœruleo velatus tegmine membra,  
Ingreditur vastis Lycus applaudentibus antris:  
Quem nitidis sequitur formosus Ylerus in vndis,  
Vicinoq̄, secans rura aurea flumine Blaua:  
Hinc Prussus, fluuioḡ, Oenus spectandus amæno:  
Nec Vuernicus abest: fert Zuson valle venusta  
Currens squamigeros secum sua munera pisces.  
Quos tunc atq̄, alios venientes limine primo  
Excipiunt, fertis præcinctæ tempora Nymphæ,  
Imaq̄, lætantes patris in penetralia ducunt,  
Quà nitidis passim fulgent laquearia gemmis,  
Ac solida incisæ stant ordine Iaspide mensæ,  
Mixtaq̄, Crystallo, glacieq̄, sedilia surgunt.  
Quæ super vt tandem discumbitur: Illicò pulchræ  
Conueniunt natæ patris, atq̄, ante ora Deorum  
Consternunt tonsis mensas mantilibus altè,  
Ac gratis onerant dapibus, Rhenanaq̄, poclis  
Vina ferunt referuntq̄, agiles, paterasq̄, coronant.  
Postq̄ epulis compressa fames, Deus ipse Magister,  
Eoiq̄, maris rector, præsentia circum  
Numina respiciens placido sic incipit ore.  
Quid facimus, læti quoniam conuenimus omnes,

C

Confor.

Consortes fluij, qua nos recreamus in arte?  
Num. Cythara potius, vel cantu fallimus horas?  
Vel longos belli reuocamus fando labores?

Ecce autem ut dubio nondum sententia cœtu  
Constitit, Albiacis, intrabat, missus ab oris,  
Muscosum scopulis altè pendentibus antrum,  
Nuntius, is Nymphis diuûm traductus ad ora,  
Quà læti medijs libabant pocula tectis,  
Cœruleo patri scriptas ab Apolline chartas  
Tradebat, fremituq; breui trepida ora mouebat.  
Quas postq; cupido percurrrens lumine legit  
Grandæuus genitor, solio quo fortè sedebat  
Subnixus, magno non celans gaudia corde,  
Surgit, & hærentem tangens vligine barbam  
Incipit, ac lætus tandem alta silentia rumpit:

Scilicet has nobis felici sidere luces  
Iam portant, fufis ducentes secula parca:  
Iam decus eximium, promissaq; gaudia tandem  
Agnosco: quare vos in uada cœrula latè  
Currite nunc auctis mea flumina, currite lymphis.

Namq; meus cultor, ripis qui sæpe solebat  
His nostris, medicis miscendas vsibus herbas  
Colligere, ac longos cantando fallere soles,  
Iam mixtus diuuis, magnisq; Heroibus ibit,  
Præcipuos sumens ornatæ frontis honores.  
Currite nunc auctis mea flumina, currite lymphis.

Mirabar faciles nuper cuiserta Camænæ

Feræ

Ferrent, cui Latia longè regione profectæ  
Naiades, atq; vda portarent munera Nymphæ.  
Hic tibi venit honos Lingeli, hæc dona tulisti.  
Currite nunc auctis mea flumina, currite lymphis.

Currite, & Eoo nascentes littore gemmas  
Ferte citi fluuij, docto noua munera alumno  
Mittam, vos Nymphæ celeres portabitis illi.  
Currite nunc auctis mea flumina, currite lymphis.

Et vos ò dulces, mea dulcia gaudia, natæ,  
Electri glebas, rubrasq; in ferta corollas  
Nectite, & è vestris veteres efferte latebris  
Thesauros, collectum argenti pondus & auri.  
Currite nunc auctis mea flumina, currite lymphis.

At tali letare viro formosa Vienna,  
Ac reduci noua dona para, iam iamq; reuersus  
Namq; aderit, clarus titulis, & honoribus auctus.

FINIS.

VVITEBERGÆ

EXCVDEBAT IACOBVS

Lucius Transylvanus.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

EXCVDERT JACOBS  
KUNSTBERG



153028

AB: 153028

ULB Halle  
003 486 044

3




86

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]*







CARMEN GRATVLATORIVM

AD VIROS PIETA-  
TE, VIRTUTE ET ERVDITIO-

ne præstantes, summaq; in Philosophia &  
arte Medica, dignitate, VIII.

Id: Iulij ornandos:

M. BALDAZAREM SVMMER TORGENSEM,  
M. PHILIPPVM BVCHAMER HALLENSEM,  
ET MICAELEM LINGELIVM VIENNENSEM.

A

MICAELE SAXONE.

ITEM ECLOGÆ TRES IN HO-  
NOREM EORVNDËM D. SCRIPTÆ

A

IOHANNË RVCARDO:  
TORGENSIBVS.

VVITEBERGÆ

---

ANNO 1563.